



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

quartus est humilis patientia. 26

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

LIBER II.

amplexatur, essentialis vnitas introducit, omnes sancti pro nobis exorant, angeli ministrant, & omni tempore nobis assistunt.

De quarto gradu, qui est humilis patientia. Cap. XXVI.

Quartus gradus, per quem in primum vite spiritualis gradum & quartum angelorum chorum, Potestatem videlicet ascenditur, est humilis patientia in omni aduersitate: quæ patientia in aduersis non turbatur in irascibili in sinistro latere constituta, a qua parte tot homini in hunc gradum ascendere volenti subtiles aduersitates occurrunt & accedunt, vt vix credi possit: idque studio & opera diaboli, non vnus tantum, sed omnium qui extra ordinem Potestatum ceciderunt: qui nimirum inuident homini locum illum, extra quem ipsi corruerunt, & multo in ipsum odio debacchantes, multas aduersus eum miras & graues commouent aduersitates. Quicquid autem per seipsos facere nequeunt, hoc per homines efficere conantur, eos præsertim, qui ad inuidiam, iram & odium sunt propensiores: per quos tales sæpe turbationes excitant, vt nesciat homo ille bonus, quo se vertere debeat. Sed in hoc nemo desijci animo debet. Siquidem immensus inde animæ fructus eueniet, si modo in omni aduersitate sua in Deum confugiens, & seipsum comprimens, in interiori illa cruce se distendi permiserint: cum gaudio ferens omnem sui contemptum atque despectionem, sicque dicat: O pie Iesu, si tu Deus maiestatis propter me tanta sustinere,

Q. iij & non

MARGARITAE EVANG.

& non nisi per crucem huiuscemodi introire in regnum tuum voluisti: quanto magis me vermiculum aliquid pati, sed sub omnium pedibus conculcari æquum est: Non enim est seruus maior domino suo. Quamobrem o dñe Deus meus crucifige, distende & occide in me, quicquid mīdus amat in me, & tua passiōe diluas, quicquid ego sustinere merui (satis em̄ superq̄ tu pro me satisfacisti) vt sic innocēs tecū pati valeam: desque mihi Deus meus, vt omnes aduersarios meos mansuetudine vincam, & ne vincar a malo, sed vincam in bono malum, eosque omnes qui me psequunt̄, et pro eis orare nullatenus cessem. Ista humilis paciētia fundamentum est vitæ spiritalis, per quam omnes inimici superantur. Et qui tales sunt, illi in quartum angelorū ordinem, Potestatū videlicet admittuntur per Christū lesū dominū nostrum, qui omnes aduersarios suos humili paciētia superabat. Gaudentque angeli ordinis huius de suæ augmento societatis, et homines huiusmodi in pace custodiunt, spiritus malignos, ne eis nocere valeāt, coercendo. Et hic plus habebunt gaudiū homines illi in Deo, quā omnes angeli ordinum inferiorum.

De quinto gradu, qui est contemptus seculi.
li. Cap. XXVII.

Quintū gradū per quem in chorū quintū, Principatuū videlicet ascendit, illi tenēt, q̄ mundū atque seip̄os contemnentes in Dei sese desiderū trāsfundunt, & vim suam concupiscibilem mundā seruant, in nullo suā delectationem aut voluptatem sectantes, vel regrentes, neque